2)

OLAI GERHARDI TYCHSEN

VNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS SENIORIS
SER. DVCI REGN. MECKLENBVRG. A CONSILIIS AVLAE,
LL. OO. P. P. O. BIBLIOTH. ET MVSEI PRAEFECTI
ET
VARIARVM EXTERARVM ACADEMIARVM AC SOCIETATVM
SODALIS

DE

CVNEATIS INSCRIPTIONIBVS PERSEPOLITANIS

LVCVBRATIO.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

CVM II. AERE EXPRESSIS TABVLIS.

ROSTOCHII A. O. R. MDCCXCVIII.
EX OFFICINA LIBRARIA STILLERIANA.

Digitized by Google

Digitized by Google

In omni antiquitate orientali, cuneata s. ad cunei similitudinem facta scriptura, (*die Keilschrift*, *écriture à clous*,) quae Persepoli in ruderibus palatii *Tschehelminâr* s. contracte: *Tschilminâr*, aspicientium oculos quodam veluti fascino allicit ac remoratur, sola incedit, nec nisi in vasi ex alabastrite aſſabre facto [1]) offertur, de qua tot ad minimum sunt eruditorum opiniones, quot ibi adhuc supersunt columnae. [2])

[1]) Insignem hanc vrnam $11\frac{3}{4}$ digitorum altam et $6\frac{1}{3}$ latam *de Caylus* in recueil d'antiquités T. V. pl. XXVI. et clar. *de Murr* Journal zur Kunstgeschichte Tom. IV. tab. III. aere donarunt. Cf. tab. mea I. num 6. 5, et D.

[2]) Clar. *de Sacy* in mémoires sur diuerses Antiquités de la Perse. a Paris 1793. 4. p. 1. ſq. quorundam eruditorum scil. *Caylus*, *Chardin*, *Cuper*, *Figueroa*, *Hyde*, *Kaempfer*, *Lacroze*, *Lebrun*, *Leibnitz*, *Niebuhr*, *Wahl*, de Persepoli eiusque cuneatis inscriptionibus sententias recensuit, quibus citeriora cel. virorum *de Bock*, *Forster*, *Franklin*, *Heeren*, *Herder*, *Iones*, *Kleuker*, *Mannert*, *de Murr*, *Ouseley*, *Witte* facta ingeniosa iudicia merito annumeranda sunt, quae vero, quum merae sint coniecturae, nec ab vllo in legendis et explicandis hisce inscriptionibus vel leuissimum vnquam factum sit periculum, obiter indicasse mihi satis est. Nullo enim pacto opinionum commenta et argutiae, sed ipsa inscriptionum lectio et explicatio, quae meae prorsus contraria est, sententiam meam frangere possunt.

Digitized by Google

Quo factum est, vt plerique omnes de ea eruenda, et eius aetate definienda penitus desperarent. Et sane primo aspectu habet, quod vel audaciae promtum repellat. Meris enim cuneolis cum maioribus tum minoribus figura aequalibus, situ, numero et coniunctione solummodo distinguendis absoluitur, et elementorum numerus tam magnus et ambiguus esse videtur, vt vnde exsequatur, vix visu aut ratione percipias. Tametsi maiora vero haud protuli, tamen ad auctorem reperiundum, (nam ipsi palatio coaeua est [3]), nihil aliud, nisi ipsam inscriptionum indagationem et enucleationem e re fore facile perspexi. Quas quum incredibili sollicitudine et studio, adiutus ill. NIEBUHR delineatione, quae omnes alias accuratione longe post se relinquit, inspicerem, non modo eas cum viro illustri reperi a sinistra dextram versus exaratas, sed tribus etiam scripturae speciebus comprehensas, quarum *vnam* ex simplicibus characteribus tab. XXIV. A. B. G. et XXXI. H. I; *alteram* ex elementis priori quidem figura affinibus, at respectu apicum copiae inter se diuersis tab. XXIV. D. F. et XXXI. K; *tertiam* e cuneolis et triangulis maxime compositis tab. XXIV. C. E. et XXXI. L. constare dubio caret [4]). Caussa tam insignis varietatis a calligraphis minime repetenda est, quod omnes tres characteribus discrepantes inscriptiones in ordine, scilicet vna post alteram stant, et vnaquaeque propriis gaudet characteribus, vt tab. XXIV. B. C. D. ac G. E. F. nec non tab. XXXI. H. I. K.

[3]) *Hyde* hist. rel. vet. Pers. ed. 2. p. 556. Chardin T. II. p. 144. ed. Amstelod. 1735. 4. Niebuhr p. 138. sq.

[4]) Inscriptionis tab. XXIV. D. initium ad litteras N. II. tabulae meae I. et tab. XXIV. E. sub litt. C. speciminis loco posui.

Digitized by Google

I. K. L. videre est, sed in numero trilinguium 5) inscriptionum Parthicae, Medicae et Bactrianae, vt mihi videtur, sunt reponendae. Hac autem vice, haud immemor, nimium magis eruditos, quorum iudicium cognoscere velis, offendere quam parum, res mihi tantummodo erit cum inscriptionibus A. B. G. H. I. quae simplici scriptura praeditae sunt, et cum agmen ducunt, tum caeteris enodandis lumen praeferunt.

Multa vero mecum, quanam ratione, post irrita multa mea pericula, nodus optime solui posset, voluenti, subiit animum cogitatio, num forte conduceret, in aetatem palatii eiusque inscriptionum inquirere prius, quam incaute et imprudenter nominis proprii inuestigatione in difficultatem dilabi, cui vincendae par haud essem. Consilio hoc capto, et sub incudem reuocatis veterum et recentiorum de Persepoli relationibus, sequentia argumenta, quae repetitae ruderum Tschilminar e Pischdadensium aut Caianensium seculo antiquitati haud omnino fauebant, animo meo fere obuersabantur.

5) Omnes Niebuhrii inscriptiones, si vnicam, quae in primaria palatii scala litt. A. adest, excipias, trilingues sunt. Idem dicendum est de iis, quas Le Brun tab. n. 131. 133. vnus solus habet. Quas idem n. 132. proposuit, Niebuhr tab. XXIV. B. C. D. longe accuratiores dedit. Fenestrae inscriptiones apud Le Brun n. 134. Chardin tab. LXIX. et Kaempfer p. 347. occurrunt, variis lectionibus colligendis inseruientes. Optandum est, vt eruditi, quibus has adire ruinas, iisque, quantum satis est, immorari contingat esse tam felicibus, omnes, quotquot ibi reperiuntur inscriptiones, sedula industria transscribant.

I. Diodorus Siculus I. fol. 43. *Cambysen ex Aegypto expugnata artifices ad extruendas celeberrimas in Persepoli, Susis et in Media regias attulisse* [6]) auctor est. Verum enim vero regia, quam Tschilminar nuncupamus, ab aegyptiacis artificibus aedificata esse nequit, quoniam in ea nec omnino simulacrum aliquod, nec vestigium architecturae aegyptiacae adparet, vt taceam, verba Diodori: τα τε ἐν Περσων πολει και τα ἐν Σουσοις mendosa videri, et veram, ni fallor, lectionem esse: τα τε ἐν Περσων πολει, ἐν Σουσοις *in Persiae metropoli Susis*, propterea quod *Susa* Persiae caput s. metropolis erat [7]). Hinc regiam in Persepoli a Cambyse conditam, vel dudum solo aequatam, vel in alio Persidis loco, nimirum in Susis positam fuisse, et palatium Tschilminar alium Persiae regem conditorem habuisse, multo iure contendere licet.

II. Quum regia Persepolis, quae testantibus Curtio V. c. 6. Arriano III. 18. p. 131. et VI, 29. p. 273. multa cedro [8]) aedificata erat, incensa et concremata sit, alia ac ea, quae Tschilminar audit, fuerit necesse est. Id enim de hoc marmoreo palatio statuere, vt est Franklini et

[6]) Reges Assyriae et Persiae artifices ex occupatis prouinciis captiuos abducendi morem tenuisse, in sacris paginis 2 Regg. XXIV, 14. — reperimus.

[7]) Veterum loca, quae Susa spectant, collecta vides in Brissonii tr. de regio Persarum principatu ed 1595. 8. p. 44. sq.

[8]) Idem de regia Ectabanis affirmat Polybius X, 27. „In regia Ectabanis vniuersa materia erat e cedro aut cypresso.“

Digitized by Google

et Ionesii, oculatorum testium iudicium [9]), insulsitas est, quod in eo ne vlla quidem incendii adsunt vestigia. Quid? quod inscriptiones et effigies in conclauium parietibus, fenestris, portis, statuis *rel.* tabulatorum, postium *rel.* ex cedro absentiam omnino defendant probentque. Praeterea scriptores solummodo de vnica ab Alexandro ignibus deleta Persidis regia retulerunt, ideoque Tschilminare palatium, quod adhuc ex parte superstes, immo, vt cl. *Niebuhr* p. 132. affirmat, in omnes partes nondum exaedificata est [10]), temporum potius edacitate, et Muhammedanorum barbarie collapsum, quam dirutum ad solum ac vastatum dici potest.

III. Ne vllus quidem scriptorum, qui ante Alexandrum M. vixerunt, vel Persepolis, vel mirificae cuneiformium inscriptionum et imaginum multitudinis tam in palatio, quam in sepulcrorum frontispiciis mentionem fecit; contra vero, vt Strabo l. XV. et Arrianus l. c. narrant, breues et paucas bilingues, persico-graecas, in sepulcris Cyri I. vt et Darii

[9]) Bemerkungen auf einer Reise von Bengalen nach Persien. Berlin 1790. p. 98.

[10]) Ex inscriptione A. tab. XXIV. istius etiam asserti argumentum peti posse mihi videtur. Nam in tabula, quam ornat, tantum relictum est spatium, quantum ad residuas duas bilingues incidendas requirebatur. Hinc iudicare licet, quod quoniam omnes aliae inscriptiones sunt trilingues, vel ex hoc capite palatium omnes numeros nondum habuerit. Cui quoque sententiae patrocinari videtur, quod in angulis aedificii K. parastatae vt in H. et I. omnino compareant, sine inscriptionibus, v. *Niebuhr* p. 146.

Digitized by Google

Darii Hystaspis, epigraphas haud siluerunt, probabili indicio, Persepolim aliud tunc temporis nomen habuisse, et palatium Tschilminar sua aetate posterius esse, laudatorumque regum sepulcra heic frustra quaeri.

IV. *Darius Hystaspis* seu *Keûosch Vistâspehê*, vt in Zend [11]) scribitur, referente *Ctesia* [12]), in duplici monte (ἐν δισσῷ ὄρει) sepulcrum sibi extrui iussit, quod ex testimonio Strabonis et Arriani l. c. ***inscriptione persica*** insignitum fuit. Sed monumenta sepulcralia iuxta Tschilminar, ex testimonio *Chardini* [13]), quod Lebrunii, Kaempferi, Niebuh-

[11]) Anhang zum Zend Av. B. II. Th. II. p. 18.

[12]) l. XV. „Darius sepulcrum sibi in bicipite monte extrui iubet, quod quoque extruitur. Cuius videndi cupidus a Chaldaeis et parentibus prohibetur. Parentes autem ascendere volentes, metu perculsis et funes laxantibus, qui sursum trahebant, sacerdotibus ceciderunt, atque ita interierunt. Qua re moerore perculsus Darius, illis quadraginta, qui eos subtraxerant, capita praecidi iussit.“ Quum Cyri sepulcrum, vt apud Arrianum VI. 29. legitur, in hortis regiis ab ima parte saxo quadrato structum quadrangularem formam prae se ferret, *Ctesias*, Darium Hystaspin sepulcrum suum altius in monte exstruendum curasse, commemoratione dignum censuit. Idem Darius, vt refert Herodotus III. c. 88. statuam equestrem *breui* inscriptione ornauit.

[13]) T. II. p. 174. de iis haec tradit: „Ils sont tous quatre semblables, a deux inscriptions près, que l'on voit sur le troisieme, dont l'une, qui comprend quinze lignes, et qui se découvre tout au haut de la façade, est du charactere commune du Temple — l'autre, qui n'est pas si longue, se voit contre la corniche et la porte.“ Conf. *de Sacy* l. c. pag. 12. sq.

Niebuhrii *rel.* silentio suffultum est, nullas omnino inscriptiones commonstrant, vnico tertio in Nakschi Rustam excepto, quod duas seruat cuneatis litteris, quales palatium exhibet, exaratas inscriptiones. Quid, quaeso, inde aliud sequitur, quam vt mons iste duplex, seu potius biceps, aut duobus iugis prae caeteris conspicuus et memorabilis, (nam in vno tantum monte sepulcrum eius extrui potuit,) in alio montosae istius regionis loco quaerendus sit.

Dixerit quisquam, Diodorum Siculum [14]) arcem et sepulcrorum regiorum ab ea distantiam tam accurate descripsisse, vt vix dubitandi locus

[14]) L. XVII. p. 544. „Arx memoratu digna triplici muro cincta fuit, quorum primus cubitorum XVII. altitudine maximo sumtu extructus erat, pinnis ornatus. Secundus fabrica priori similis duplo altior erat. *Tertii ambitus figura erat quadrilatera*, eius autem murus altitudinem habebat LX cubitorum, duro lapide et ad aeternitatem appositissimo aedificatus. Latera singula aeneas habebant portas, quibus aenei valli XX. cubitorum altitudine, hi quidem ad percellendos spectantium animos, illae ad firmitatem comparatae. Qua parte arx ad orientem spectabat, aberat ab ea IV plethris (iugeribus s. CCCC pedibus) mons, qui regius vocabatur, in quo erant regum sepulcra. Nam excisa petra erat, complura in medio domicilia habens, in quibus conditoria defunctorum erant, quae nullum quidem aditum habebant, sed machinis quibusdam sublati mortuorum loculi inferebantur. In hac etiam arce multae erant regibus et militibus inseruientes mansiones et sumtuose extructa gazophylacia.“ *Kaempfer* p. 305. et 315. arcem hanc a Diodoro descriptam in Nakschi Rustam extructam fuisse coniecit.

locus sit, quin de Tschilminar palatio, quod tribus adhuc areis constat, meminerit. Quo quidem posito, sed non concesso, nihil aliud inde colligeretur, nisi quod *vel* recens extructum palatium cum eo, quod Alexander igne deleuerat, commutauerit, *vel* palatium reginae *Homai* tributum, quod etiam areas, cuius binae adhuc supersunt, habuit, et reuera dirutum dici potest, et iuxta quod regum sepulcra [15]) sunt, *vel* denique aliud respexerit nondum examinatum. Cum nemine tamen pugnabo, qui palatium Tschilminar eodem, quo priscum fuit, loco aedificatum esse idoneis argumentis euicerit.

V. Adhuc sub iudice lis est, vbi sita fuerit, et quonam nomine proprio Persico venerit Persepolis. Haud quidem inepte 1 Macc. VI, 1. coll. 2 Macc. IX, 1. Ierem. XLIX, 25. ſq. Actor. II, 9. metropolis Persiae *Elymâis* (עילם עיר vrbs Elam) appellatur. Nam *Elam* idem est ac *Αιλαμ* et *Αιραν*, quod sensu strictiori non modo Persidem et Susianam [16]), sed et sensu laxiori Persiam intra Gihon et Indum, sinumque

[15]) *Niebuhr* l. c. T. II. p. 154. *Kaempfer* p. 305. *de Sacy* p. 10. not. 16.

[16]) In Zemach David ad a 3442. pag. 25. b. ed. Prag. 1592. 4. Alexandrum magnum, narratur, eepisse regiam *Elam*, quae metropolis Persiae est (המלוכה עילם אשר היא מטרפילין למלכות פרס ולכר את עיר) Cl. *Conr. Mannere* Geographie der Griechen und Römer. Nürnberg 1797. 8. Tom. V. p. 486. „Die Elymaei - scribit, scheinen nebst den Kissii die ältesten Bewohner nicht nur von Susiana, sondern auch vieler Striche in Persis und Medien gewesen zu seyn, da die biblischen Schriftsteller unter dem Namen *Elam* die Sise der Perser

que Persicum et Euphratem comprehendit, et in inscriptionibus Sassanidarum Istachrae et Kermanschah, nec non in eorum numis promiscue אילאן et איראן scriptum, et hoc sensu adhibitum fuit [17]). Veteres quidem scriptores inter Persepolin et *Susa* quae Dan. IIX, 2. in *Elam* sita dicitur, distinguunt, sed hoc eodem loco habendum est; ac si quis inter Iatrib et Medinah, aut inter Panormum et Medinet Sikiliah distingueret. Idem de *Pasargadai* [18]), aut secundum alios Pasakarta, Per-

ser im Allgemeinen begreifen. *Iosephus* (ant. iud. I. 7.) sagt das nemliche, und nennt das Volk *Elymi.*" Conf. *Bochart* in Phaleg. libr. II. c. 2. *Cellarius* in Geogr. P. II. p. 501. *Michaelis* in spicil. geogr. hebr. P. II. p. 88. et Vaillant in regum Arsacidarum historia Parisiis 1728. 8. Tom. I. p. 40. In actis martyr. or. T. I. p. 39. n. 14. dicitur ܫܘܫܢ ܕܒܥܝܠܡ *Schuschan in Elam.* Quae Syrorum et Arabicorum historiographi de Susianae s. Churistanae quatuor populis: Elamitis, Susiis, Vxiis et Cussaeis referunt, non impugno. Sed dubitare licet, num Danielis aetate eadem distributio locum habuerit —.

[17]) Vid. Clar. *de Sacy* Memoires p. 52. 110. 171. 278. sq. Simulac hocce aere perennius monumentum editum, et ab amico mecum communicatum fuerat, exstantiores eius inscriptiones ad futuros forte vsus aeneae tabulae statim incidi. Commodum nunc accidit, vt conferendis inter se Parthorum et Sassanidarum scripturis inseruiat, iisque grata sit, quibus dictum opus ad manus non est. Quae caussa est, cur tabulam subiungere nullus dubitaui.

[18]) Librariorum Passargadai pro Parsagarda scribentium lapsus inde manasse videtur, quod nomen Pasargadai apud Herodotum I, 125. occurrens, quo tribus nominabatur, ad quam Achemaenidae, e quibus reges

sagarda l. Parsagerda ferri poteſt iudicium. Nam vox est Persico-chaldaica, quae *Persiae vrbem* significat [19]. *Stephanus* quidem eam per Περσων ϛρατοπεδον *Persarum castra* interpretatus est, in mente forte habens vel hebraicum *Gader* גדר, (vnde Gades), vel persicum جادر *tschâder* i. e. *castra;* sed haec notatio heic non quadrat, quod Regia non Persecharax sed Persepolis audiat, et vrbes, quae originem debent castris, inde quoque nomen v. c. castra Cyri, Sesostris, Alexandri, Pyrrhi etc. traxerint.

Cyrus senior, teste Aeliano I, 59. regiam in *Persepoli,* ob partam de Astyage victoriam et Asiae dominationem condidit, ab Arriano VI, 29. aliisque persice: *Pasargadai* appellatam, vbi sepulcrum eius fuit. Hinc Persepolis et Pasargadai eadem nomina sunt, et mirum amplius non est, successores eius in hac etiam Regia imperii sui conditoris sepeliri voluisse et reuera sepultos esse. Nam iuxta Regias sepulcra Regum erant, vt vel Hierosolyma et Memphis testatum faciunt. Nec minus e Ctesiae libris IX, XIII. XV. XLVIII. colligitur, Cyrum, Cambysen, *Darium Hystaspin,* Artaxerxem *rel.* sepulturae ibi datos esse, quod vna eademque de omnibus loquendi formula: ἐις Πέρσας, quae *Parsagardam* vnice spectat, vtitur. Quae vero quum caput et metropolis Persiae, immo Regia totius orientis, et omnium aliarum regiarum, quas reges

Persiae oriundi erant, pertinebant, incauti arripuerint. Est persicum پسر كاده *Persergadeh* filii familiae scil. regiae, vt D'Herbelot sub voce *Perser* iam docuit.

19) Conf. Hyde p. 564.

reges Persiae, Cyri successores extruxerant, recte dici potuit, facile adparet, quare Alexander eam destruxerit, quod haud fecisset, si solis regum sepulcris inseruiisset, quae Alexandro Graecisque religiosa erant, vt supplicium eius de Orxine sepulcrorum regiorum spoliatore sumtum [20]) abunde demonstrat.

Sed de situ Parsagardae s. Persepolis non conuenit inter Scriptores veteres et recentiores. *Strabo* p. 708. ſq. haud longe a Cyro fluuio, et *Plinius* VI, 26. 29. ad orientem Laodiceae ab Antiocho conditae in extremis finibus Persiae eam collocant, contra vero *Kaempfer* [21]) pontem Pylli Fessa tribus parasangis a Schirazo distantem reliquias eius esse acute vidit. Quidquid est, perinde mihi est, quo in loco Parsagarda aut Persepolis posita fuerit. De meo tamen sensu si iudicem, Elymais, Parsagarda et Persepolis minime propria diuersarum vrbium vocabula, sed dignitatis et praerogatiuae tituli metropolis sunt, cuius genuinum nomen *Susan* [22]) obscurarunt ac possessione deturbarunt, et scriptoribus anti-

20) Arrianus VI, 29. p. 271. ſq.

21) Amoenitat. fasc. II. rel. VI. §. IV. p. 365. coll. *Hyde* p. 563. et Angeli a S. Ioseph gazophylacio L. Pers. p. 127. quorum relatio hoc saltim probat, quod e ruderum et imaginum in montibus multitudine, regiam ibi olim extitisse coniectura trahi possit. Conf. Kaempfer p. 305. 315.

22) Esther I, 2. ſq. coll. Iosephi antiquit. l. XI. c. V. 6. dicitur metropolis Persiae שושן הבירה *Schuschan Regia*, quae quum *κατ᾽ ἐξοχὴν* Ir Elam, Parsagarda et Persepolis i. e. *Persiae vrbs*, in tribus istis linguis recte appelletur, nec alia metropolis ab Alexandro vastata in Persia

quis, qui persicam et chaldaicam linguas haud callebant quatuor haec nomina identica miscendi, et ex iis totidem vrbes, et diuersa exercitus Alexandri huc illuc confecta itinera pro re nata fingendi ansam dederunt. Quid? quod regiae ab Arsace in Persia conditae nomen, graece *Persepolis* iure quidem suo nuncupatum, ideoque a scriptoribus cum priori regia commutatum, ad hanc augendam confusionem haud parum attulisse videtur. Quodsi auctori *Lubb Tharich* [23]) fidem tribuas de rebus nimia vetustate obscuris asserenti, *Istachram* iam sub *Huschenk* secundo Pischdadiensium rege, qui tempore Enochi vixisse dicitur, „*aedificata et a Dsjemschid, Gustasp et Homai amplificata fuit, cuius mons ob regum Persiae sepulcra, quorum alia in cauernis, quae antiquissima sunt; alia in vallibus ingenti lapidum aceruo ad instar collis aggesto* [24]) *conspiciuntur; alia denique ollis in terra conditis consistunt,*

Persia reperiatur, iure quidem suo pristinam sibi metropolis Persiae dignitatem vindicare, et Curtii V. c. VI. assertum: *huius vestigium non inueniretur, nisi Araxis* (Choaspis) *amnis ostenderet*, (quod de Tschilminar prolatum falsissimum est,) confirmare potest. Nam Susarum vestigia, vbi manserint, nescimus, Tschilminariae monumenta adhuc immota stant. Obiter annoto, *Susa* apud graecos scriptores in plurali tantum adhiberi. Hinc hebraicum *Schuschan* numerus etiam pluralis cum terminatione pluralis numeri persica esse videtur.

23) Büsching Magazin T. XVII. p. 23. 24. 29. 30. coll. Tomo IV. p. 258.

24) Kaempfer p. 306. „— quatuor, inquit, occurrebant memorabiles tumuli, in quadratum ad mutuam 25 passuum distantiam locati, singuli longitudinis 50 passuum; quo fine, quidue condant, incertum.“ De tumulis

sistunt, *valde celebratur*," verum forte Persepolis nomen *Istachar* (اصطخر) haberemus, licet eius notatio nos lateat. Tametsi auctor vrbis primordia antiquiora facit, nec vllus scriptorum sacrorum et profanorum eam memorat, hoc tamen dubio caret, quin exorta Sassanidarum dynastia iam adfuerit, vt eorum monumenta, quae ibi extant, in aprico ponunt. Itaque ab Arsace I, quem *ciuitatum et castrorum castellorumque munimentis oppleuisse Persidem* Ammianus XXIII. c. VI. commemorat, vel conditam vel condi coeptam esse, eo facilius credi potest, quia ſimile vero videtur [25]).

VI. Constat inter omnes, artem scribendi a Phoenicibus aut Assyriis ad Graecos peruenisse, vt vel elementorum graecorum nomina et series euincunt. Initio quidem Graeci morem phoenicium a dextra in sinistram scribendi imitati sunt, deinde vero more arantium boum, i. e. *bustro-*

tumulis iuxta Niniuen, Babylonem et in Media conspicuis, quibus cinis concrematorum cadauerum etc. condebatur, Agathias hist. libr. II. p. 57. ed. 1694. retulit.

25) *Iustinus* XLI. c. V. „Vrbem quoque, scribit, nomine *Dara* in monte *Zapaortenon* condit (Arsaces); cuius loci ea conditio est, vt neque munitius quicquam esse, neque amoenius possit" — cf. Schickard in Tharich p. 103. Si qua vrbs hoc nomine fuit, pronus sum ad credendum, e Dara aut Thara nomen Stahbra aut Istachra, vel ex male intellecta pronunciatione, vel librariorum incuria ortum suum traxisse. Alii hanc vrbem ad Caspias pylas sitam fuisse contendunt. Sed hoc in medio relinquo. *Masudi* Ardschirum occupatam Istachram sibi sedem elegisse ex veritate retulit. Vid. Notices et Extraits des MSS. T. II. p. 321.

Digitized by Google

bustrophedon seu alternis lineis a dextra versus sinistram et vice versa scribere excogitarunt, tandem solam a sinistra dextram versus scribendi rationem introduxerunt. A Graecis ad nationes, Europaeas, Asiaticas et Africanas, eas scilicet, quae hunc scribendi versus dextram morem sequutae sunt, siue characterum figurae similes sint, siue ab iis tam figura quam numero abludant, transiit. Inscriptiones itaque a sinistra versus dextram exaratae, et originis graecae in litterarum quarundam figura, vocaliumque inter consonantes collocatione vestigia explicantes, quales Persepolitanae in palatio sunt, rudem antiquitatem superare nequeunt, sed sequiori aeuo ortum suum debent.

VII. Ex irritis omnibus, quae feci, periculis, nomen regis e duabus prioribus dynastiis expromendi, pronum fuit iudicare, quod aetate posteriores essent inscriptiones. Eas enim ad Conditoris non modo imaginem, sed et nomen posteris commendandum saxo insculptas fuisse, mihi simile vero visum est.

VIII. Quodsi cum e scriptura assyriaca, quam Pehlauica lingua exaratae inscriptiones in memoriam *Ardschiri* dynastiae Sassanidarum conditoris ante oculos ponunt [26]), tum e graui Themistoclis, qui sec. V. ante Chr. floruit, testimonio [27]), priscis Persis eamdem fuisse scripturam

[26]) In marmoreo, quod inter Tschilminar et Nakschi Rustam extat, sepulcrali monumento, de quo vide *Niebuhr* l. c. pag. 153. 157. ſq. coll. *de Sacy* l. c. pag. 12. et tabula mea II. D.

[27]) Epistola 21. ad Temenidem pag. 102. ed. graec. Lemgov. 1776. 8. Quatuor maxima argentea pocula et aurea thuribula, antiquis Assyriacis

ram coniectare licet, non potest non cuneata, quae in palatio conspicua est, peregrinam originem habere. Iam autem nullae aliae e quatuor persicis, Pischdadiensi, Caianensi, Graeca et Parthica, quae Sassanicam praecesserunt, dynastiis, quam Graeca et Parthica dicendae sunt peregrinae. Graeca, vtpote exiguum temporis spatium durata heic in censum non venit, sed quae eam subsecuta est Parthica, cuius conditor *Arsaces* quidam circa 270 annos ante C. N. fuit, quem alii, vt videtur, recte Parthia, alii Scythia, alii Media oriundum, alii Darii Codomanni filium, alii denique incertae originis fuisse contendunt.

Argumentis hisce aequa lance ponderatis, nihil mihi restare videbatur, nisi ab Arsacidis petere auxilia. Audebam itaque, quod non credidi ausurum me, scripturae cuneatae lectionem tentare, licet vna ea cura in antecessum me angebat, ne vbi lingua dudum emortua scripta esset, vix alia quam nomina forte propria inquirendo reperirem. Me haud temere diuinasse, exitus quidem declarauit; attamen cum etiam parum efficere, immo operam perdere et errare excusatione possim, hoc mihi prospere successit, vt conditoris vel dynastiae vel palatii nomen, quod maximi momenti habet, et de controuersia constituit, certo eruisse non

cis litteris, non iis inscripta, quae Darius Xerxis pater Persis paullo ante praescripsit, — mihi mitte. (Των κρατηρων μοι των ἀργυρων τους μεγιστους τεσσαρας, και των θυμιατηριων των χρυσων, ἐφ᾽ οἱς ἐπιγεγραπται τα Ασσυρια τα παλαια γραμματα, οὐχ ἁ Δαρειος ὁ πατηρ Ξερξου Περσαις ἐναγχος ἐγραψεν - ἀποπεμψον.)

non dubitem. Quum enim eius nomen AKSAK (اکسک) in inscriptionibus A. B. G. H. I. quae regis imaginem cingunt [28]) XXIIX. vicibus, praeposito *monarchae* باشاه, aut *regis* ملکيوش titulo occurrat, de eius vera lectione non est quod dubitemus.

Hic AKSAK, cuius nomen Parthi in numis ΑΓΣΑΚ aut ΑΚΣΑΚ [29]); Phoenices ASCHAK et ASGAG; Graeci ΑΡΣΑΚΟC Armeni ARSCHAK (ارشک); Syri et Iudaei انمـ, ארשק (v. Barhebraei Chron. Syr. p. 42. et Ioseph. Gorion. l. IV. c. 4.) Romani ARSACES; Persae et Arabes ASCHEC aut ASCHEG (اشغ, اشک), organis loquelae cuiusque dissonae sermone gentis conuenienter scribere consueuerunt, regnante Seleuco I. Nicatore [30]), aut secundum alios, sub Antiocho II. anno

[28]) Memoratu cumprimis dignum est, quod in iis inscriptionibus simplicibus, quae vel supra fenestras, vel in talaris regii plicaturis, vel in parastata iuxta angulum australem aedificii G. visuntur, post dictiones *Malkéyusch* et *Osch Padscha*, loco *Osch Aksak*, quae in caeteris inscriptionibus A. B. G. H. I. adest, duae litterae CHK (خک) quae nominis Aksak compendium esse videntur, apud *Le Brun* n. 131. lin. 4. 6. 10. *Osch patscha* CHK; et lin. 8. 11. 14. Malkéyusch CHK. coll. *Chardin* tab. LXIX. lin. 1. *Kaempfer* tab. p. 347. lin. 1. et in supra laudata diui Arsacis vrna, expressa exstent. Quae quidem nominis decurtatio tam ab imaginis regiae absentia, quam a spatii angustia, aut ab aliis obscuris caussis proficisci potuit. Nam in adiectis aliis duabus exoticis inscriptionibus nomen regis plene scriptum depreheuditur.

[29]) *Niebuhr* descr. Arab. tab. XII. 26. et tab. mea I. n. 1.

[30]) Ammian. Marcellinus XXIII. c. VI. „Qui (Arsaces) post multa gloriose et fortiter gesta, superato Nicatore Seleuco eiusdem Alexandri successore – placida morte decessit."

Digitized by Google

anno ante C. N. 256. rebellaſſe, et aſſumto regis Parthorum titulo, duo et quod excurrit annos regnaſſe dicitur. *Lubb Tharich* XV. et *Mirchond* VII. annorum regnum ipſi tribuunt [31]). Vtcumque se res habet, *ARSACES* immortalibus editis operibus, teste *Iustino* XLI. c. 4. et 5. *non minus memorabilis Parthis, quam Persis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus matura senectute* deceſſit. Cuius memoriae hunc honorem Parthi tribuerunt, *vt omnes exinde reges suos ARSACIS nomine nuncupauerint* [32]), ac, vt, *Ammianus* XXIII. c. 6. tradit, *numinis eum vice* venerati sint et coluerint.

Incendio deleta et diruta ab Alexandro M. regia dubium eſſe nequit, quin aut *Arsaces I.* aut vnus e succeſſoribus, fortaſſis vel frater eius *Tiridates*, vel abnepos eius *Mithridates* I. qui *imperium Parthorum*, ex Iustini l. c. cap. VI. relatione, *a monte Caucaso, multis populis in ditionem redactis, vsque ad flumen Euphratis protulit*, augusta sede *Istachrae* collocata, palatium Tschilminar condiderit, in cuius ruderibus

C 2

[31]) Büschingii Magazin T. XVII. p. 32. D'Herbelot sub voce Aschek.

[32]) Ab hoc inclyto Arsacis nomine, Syri denominatiua ܐܪܫܟܝܐ *arschechojo* Arsacida etc. (v. Castellus col. 237.) mutuarunt. Nam Ierem. XXV, 25. מלך ששך regem Scheschae, ܡܠܟܐ ܐܪܫܟܝܐ *regem Arsacidam* Syrus interpres in Bibl. Polyglottis (in hexapl. syr. vox hebr. retenta ſuit,) transtulit, probabili indicio, eum sub florentiſſimo imperio Arsacidarum versionem suam adornaſſe. Conferri merentur, quae cel. *Lorsbach* in Archiv für die Bibl. u. Or. Litteratur Vol. II. p. 264. ſq. in hunc Ieremiae locum erudite, vt solet, commentatus est.

Digitized by Google

deribus conditoris superbissimi fastus, magnificentia, splendor, et opes tanquam in extersissimo aliquo speculo adhuc relucent.

Postquam Parthi Arsacem I. inter Deos retulerant, minime mirum videri debet et potest, quod eius, tanquam Dei praesidis imperii sui, simulacrum *vbique*, cum in palatio, tum in epitaphiis, etiam in numis conspiciendum praeberent, eiusque heroica facinora et Orientis imperium caelato opere et insculptis hymnis concelebrarent. Ita euenit, vt in omnibus conclauibus, et in sex sepulcrorum frontispiciis, quae non possunt non sub variis regibus fabrefacta esse, vnius eiusdemque regis effigies adpareat, nimirum vt Rex eodem vultu, ac eodem amictu, qui parthicus s. medicus est [33]), eademque plana mitra aut diademate, *vel* stans et incedens [34]), *vel* in sella aurea tapete tecta sedens, ac in numis reperiatur. Vt dictis fidem faciam, *Haymum* [35]) excito, qui maximi momenti

[33]) Iustinus XLI. c. I. „Vestis olim sui moris, posteaquam accessere opes, vt Medis pellucida ac fluida.“

[34]) Chardin tab. LXV. LXVII. Hyde t. VI. p. 307. Kaempfer p. 313. coll. p. 354. Lebrun tab. n. 143. ſq. Niebuhr t. XXV.

[35]) Tesoro britannico P. I. Vol. I. p. 142. coll. Vol. II. p. 30. ſq. Niebuhr descr. Ar. t. XII, 24. ſq. et instar omnium Cl. *Eckbel* in doctrina vett. num. P. I. Vol. III. p. 524. ſq. 545. et cl. *Rasche* in Lexico num. T. I. P. I. p. 1128. ſq. *Dio* libr. XLIX. §. 27. Phraatem IV. aurea sella sedentum et neruum arcus contrectantem M. Antonii legatos admisisse retulit. Numi tam graecis, quam phoenicio-assyriacis instructi titulis, a clientibus graecis et assyriacis cusi esse videntur, in qua quoque opinione

menti argenteum aere repraesentauit, in cuius *Auersa* Artacis effigies iis, quas *Chardin* tab. LXIV. et LXVI. et *Niebuhr* t. XXIX. et XXX. largiti sunt, respondet, et Arsacidis palatii exstructionem sine ambitu adiudicat. Huc quoque spectare videtur gemma Ducis *Noja Caraffa* [36]), Arsacem in sella, quae tapete tegitur, sedentem exhibens, cuius lemma haec litteris phoeniciis scripta verba: להגדל אסגג *magno* ASGAG, includit.

Arsacidas inductam a Zoroastro religionem coluisse, ab auctore libri *Bundehesch* [37]) discimus, qui eorum reges nomen purorum s. religiosorum regum habuisse declarat. Quam quidem assertionem, si ad Arsacem I. transferas, cum eius consecratio, tum ipsa sepulcrorum frontispicia et Tschilminaria rudera, quibus cultus zoroastrici attributa,

 v. c.

nione cl. *Eckhel* l. c. est. Numi vero Parthorum sermone et litteris insigniti nulli adhuc innotuerunt. Quos enim veros esse parthicos iudicarunt eruditi, ad Sassanidas pertinere cl. *de Sacy* in laudato Commentario euictum dedit. Conf. Additam. meum ad introd. in rem num. p. 32. et tab. II. C. qua numi Sassanici titulus ob oculos positus est.

[36]) Cl. *de Murr* Iournal zur Kunstgeseichte T. IV. tab. I. A. p. 141. et description du Cabinet de Mr. Praun. Nuremb. 1797. 8. p. 266. coll. tab. mea I. n. 3. In hac inscriptione littera *Samech* eadem, ac in inscriptionis Citiensis voce *Abdasar* (tab. I. n. 4.) figura fere venit. Solis imago, et Veneris stella, quae in hac gemma collucent, in ruderibus Nakschi Rustam occurrunt. Vid. *Kaempfer* p. 313. 318. 320.

[37]) Zend Avesta P. III. p. 129. vers. germ. „Die Aschkaniden fuhrten den Namen reiner Könige."

Digitized by Google

v. c. Solis imago, ara incensa, *Feruer* s. regis imago incorporea, *Havan* s. libationis scyphus, canes [38]) *rel.* ad viuum depinguntur, abunde confirmant. Reliquae sculpturae, nimirum: solennis pompa, et regis cum variis belluis certatio, quae victarum gentium, vt videtur, insignia erant, praestiti a gentibus subactis homagii, et secundorum Arsacis proeliorum imaginem repraesentatione exprimere videntur. Vtrum autem fabulosae in vestibulis belluae sphingum officium exsequi debuerint, an peculiaria Arsacidarum potentiae symbola aut signa fuerint, hoc iuxta aestimo. Quae quidem pro re mea praelibasse sufficiat.

Iam paucis attingere iuuabit simplicium inscriptionum Alphabetum et linguam, qua concinnatae sunt prius, quam earum transscriptionis periculum fecero.

A. ALPHABETVM.

I. Parthorum Alphabetum cum antiquo graeco cognationem in eo habet, quod non solum a sinistra versus dextram scribitur, sed varias etiam ab eo litteras v. c. Β. Δ. Ε. Κ. Σ. conseruat [39]), eo tamen discrimine,

[38]) Zend Av. T. I. p. 14. Append. II. III. p. 44. *de Sacy* l. c. p. 267. ſq.

[39]) Dantur numi obscuris titulis et litteris graecis peculiaris formae praediti, quos cl. *Eckhel* l. c. §. 7. p. 549. ipsis Parthis assignat. Sed verisimilius mihi videtur, eos Parthorum clientibus, v. c. Iberis et Armenis, qui graecorum characteres, quos *Miesroch* postea sec. V. transfigura-

mine, vt lineas, quae characterem efficiunt, non vt graecum inter se connectat, sed a se inuicem seiungat, et cuneoli s. sagittae spiculi formam, genio Parthorum bellicoso respondentem, qualem litterae in numis Seldsjucidarum fere exhibent [40]), ipsis conciliet.

II. Constat quidem, quantum reperire potui, elementorum *figuris* XLVI. quarum XXVI. ad consonantes, et XX. ad vocales referri possunt, et tam cuneolis rectis et transuersis, quam vncillo figuram trianguli referente circumscribuntur; quae vero ad longe minorem numerum redigi poterunt, dummodo figurae haud quidem paucae numero, quas vel toreuta, vel chalcographus, siue ex consulto siue oscitantia cuneoli tam additione quam omissione valde cumulauit, e numero litterarum Alphabeti eximantur [41]).

III. Cuneoli transuersi superne et in medio, ante et post rectos cuneolos ac triangulos collocati elementorum figuram, potestatem et soni varietatem determinant, et perinde esse videtur, quemnam locum occupent, modo numerus eorum in littera adsit. Typorum assertionem meam probantium defectus in caussa est, cur in tabula aenea cuique litterae

figurauit, elegerant, assignare, propterea quod ipsos Parthos metallum signasse non constat, et quod principuum est, hi numi a domestica scriptura cuneata nimium abludunt.

[40]) Tab. I. n. 2. vbi vocabulum السلطان, vt in eorum numis obuium est, expressi.

[41]) Idem iudicium de inscriptionum D. F. K. et C. E. L. alphabetis ferri potest, vt expertus scio.

terae litteras correspondentes, et ex hallucinatione forte commutatas adiunxerim vncinis inclusas.

IV. Ad sonorum varietatem indicandam, quum consonans aut leuiter aut aspere efferenda, et vocalis vel longa vel breuis sit, diuersas figuras adhibent. Elementorum autem verum sonum et valorem in lingua dudum emortua, neu in scriptis superstite, definire velle nimis quidem temerarium videri posset, aliquid tamen experiri par est cum venia coniunctum. Scilicet Consonantes ب, ب, ى, sub B; ق, ک, ک, ح خ sub K; ز, س, ص sub S; د, ط, ظ, ت, sub T, et vocales cum sono similibus iungere pro virili studui. Qui *omnes inscriptiones curate inspexerit*, me nihil ex arbitrio, corrigendi pruritu et praeoccupata opinione, sed omne ex praegnanti caussa fecisse, ipse, vt spero, facile perspiciet. Qua namque cautione neglecta, haud secus quam in tenebris et interpres et censor errabunt.

